

40. 929

DISPUTATIO
DE
SACRA COENA

*Complectens Mateologiam Sacramentariam, ejusq̄ examen
de sano verborum Institutionis sensu.*

Quam

Divina aspirante gratia

PRÆSIDE

REVERENDO ET CLARISSIMO
VIRO

DN. BALTHASARE
MENTZEROS. THEO-
LOGIÆ DOCTORE & PROFESSORE
IN ILLUSTRACADEMIA GIESSENA PUB. PRÆ-
CEPTORE SHO PLURIMUM HONORANDO,
in Publico Disputationum Theologicarum
Collegio.

Proponit & exhibet

M. MARTINVS WILLICHIVS
Falzburg. March: 22. Julij, Anno 1608.



GIESSEAE HASSORVM.

Ex Officina Typographica CASPARIS CHEMLINI.

Coll. diss. A
201, 24

Diss. A. 201 (24)

~~XLV. 15. 6~~

152

DISTRICTO
DE

SACRA CORONA

Magistro Johanne Christiano
de hujusmodi Institutione

Magistro Johanne Christiano
RESIDENS

REVERENDISSIMO PATRI
MAGISTRO

DN. BALTHEASARE

MENZTERO SS. THEO.

DOCTORE PROFFESSORE



INSTITUTIONE
COLLEGIUM

OMNIA S. WILLICHIUS

Magister Johanne Christiano

~~XVII. 1777~~

MAGISTRO JOHANNI CHRISTIANO
MAGISTRO JOHANNI CHRISTIANO



152



GENERE, VIRTUTE, PRUDENTIA
NOBILISSIMIS, AMPLISS.

Prudentiss.

DN. CONSULIBUS TO-
TIQUE ORDINI SENATORIO INCLY-
TÆ REIPUB. STETINENSIS POMERANO-
RUM, DOMINIS, MECÆNATIBUS & FAVI-
TORIBUS MEIS SUMMA CUM OBSER-
vantia colendis.

S. P.



ELEBRE ac decantatum est. V. N. A. P. quod olim *1. Eth. 9.*
Philosophus de ludis Olympicis docuit, quibus Græ-
ci juventutem suam, adeoque eos, quorum sanguis
generosior circa pectus ludebat, excolendos dede- *8. Politic.*
runt, ut non modò corporis membra ad labores per- *cap. 4.*
ferendos componerent, verum etiam belli pericula,
pugnando, dimicando sustinere, magnoque animo
tolerare atque perferre possent. Quod si verò Græci, illa certamina tanti
fecerunt, ut propter emolumentum aliquod temporale, necessaria &
commoda illa sibi arbitrarentur; tum profectò certamina illa nobis, quæ
propter immortalitatem, propter sempiternam nostram salutem suscipi-
untur, longè pluris facienda ac æstimanda erunt. Etenim quantò æterna
nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt: tantò quæ ex
talibus exurgunt atque proveniunt, etiam jure anteferuntur. Neque du-
bium esse potest, in aliquo alio magis, si non æquè, gaudia nostra sempi-
terna, quam in eo quod est de sacrosancta Domini cœna, consistere ac
contineri. Hanc Filius Dei nobis instituit in certissimum amoris sui inef-
fabilis pignus & testimonium, quâ nobis confert atque obsignat totum
thesaurum beneficiorum suorum, quæ nobis paravit. Omnis hic nostra
medicina adversus mortem, adversus conscientie pavores omnes, imò

2. Me-
taph. 1.
Scaliger
exer. 359.
sect. 1.

105
jantia est ad vitam æternam. Gratissima nobis hæc esse semper, & sicut
Christus eam in verbo suo instituit: ita etiam vera fide firmiter teneri de-
bet. Unde miserè illi exorbitare coguntur, qui verbo divino spreto atque
neglecto, cæcæ suæ rationis, quæ etiam in rebus humanis sæpe deficit du-
ctum sequuntur. Ut enim nostra hæc, in studiis saltem literarum, sine Lo-
gico lumine, peregrinatio, miserabilis quædam erratio est: ita illa miser-
rima est, quæ lumine, hoc est verbo divino caret; aut si qui ab eo defle-
ctunt, aut per malitiam illud lancinant atque confodiunt. Vobis
autem Viri Nobiliss. Ampliss. Prudentiss. meam hanc exercitationem in-
scribere volui, non modo ideò, quia verè ac purè Religionis Patroni estis,
& talia vobis grata exercitia scio; sed quia quorundam qui in Ampliss. ve-
stro Senatu sunt, multa præclara officia in me extant. Debeo hoc quo-
que omnium vestræ in me benevolentia, ut studia mea qualiacunque,
quæ quodammodo vobis constant, magis commendem, atque ad ma-
jus ejusdem benevolentia incrementum exuscitem. Peto igitur ut vultu
benigniori eam suscipiatis, atque hoc meum vobis placendi studium non
improbetis. Deus ter Opt. Max. Ecclesie suæ laudatissimæque vestræ
Reipublicæ vos diu incolumes florentesque conservet. Dabantur
Giesæ 15. Julii, Anno 1608.

N. V. A.

Observantissimus

M. Martinus Willichius
Autor & Respondens.

EXOR.



61

EXORDIUM

THESIS PRIMA.



U ANQUAM homo primus ab integritate sua, ad quam initio conditus erat descendit, adeoque fastidienti animo mandata DEI abnegavit, bonitatem divinam violavit, ut ob pessimam illam abnegationem non modo calamitatibus bene multis, sed & cruciatibus infernalibus usque sempiternis obnoxius esse debuerit; tamen illa ipsa bonitas, illa misericordia DEI, quae multis intervallis caelo major est, Psal. 103. v. 11. quae infinita est Exod. 34. v. 6. Psal. 86. v. 5. ac totum orbem terrarum complet, effecit, ne tanta malorum mole penitus supprimi illum pateretur, sed tandem, intercedente filio DEI & perfectissimam Satisfactionem spondente, in gratiam reciperet, adeoque liberum ad se accessum, ac certissimam futura gloria spem faceret, attestante Apostolo Rom. 5. v. 2.

II.

Et ut persuasissimum hoc sibi haberet, Evangelium non modo dedit, de futuro mulieris semine, quod deinde per Patriarchas longe lateque disseminavit, clarius edocuit fidem in Mediatorem in carne exhibendum proposuit: sed & Sacramentum Circumcisionis tandem in fidei confirmationem instituit; quod non tantum nota fuit, quae Iudei a gentibus distincti essent; neque etiam ut spiritualem Circumcisionem tantum significaret, vel ex opere operato iustificaret; sed ut certum esset medium sive organon insitionis in populum DEI, & testimonium sive signum voluntatis divinae erga Israelitas, & confirmatio fidei eorum qui credebant promissioni de pacto DEI cum Abrahamo inito. Hoc enim in contractibus, pactis & Sacramentis civilibus fieri solet, ut primum litterae & articuli conventionis scribantur, deinde propter majorem auctoritatem & fidem, sigillis consignentur, ut Juriconsulti docent: Ita etiam DEVS bona illa, quae mutuis colloquiis Abrahamo legaverat

circumcisione tanquam sigillo, in certissimum pacti pignus & testimonium confirmavit & obsignavit.

III.

Nobis vero, cum Lex vetus sit abrogata, Sacramentum Baptismi, quod nunc Initiale est in Novo Testamento, seu janua, ut veteres nominarunt, per quam in *ἡλικίαν αἰῶν* seu societatem Ecclesie vera primum ingredi-mur, in mortem illius baptizamur Rom. 6. vers. 3. fœdus bona conscientie cum D E O inimus 1. Pet. 3. v. 21. Christum induimus Gal. 3. v. 27. remissionem peccatorum consequimur Act. 2. v. 38. salvamur & sanctifica-mur, substituit, & post illud Cœnam Dominicam (de qua nunc tantum a-gemus) ut si quando contra initium in Baptismo fœdus prævaricamur & fi-dem ac hereditatem in Baptismo nobis oblatam carnis infirmitate & Satha-na insidiis circumventi amittimus, per hoc vires & bona illa resumamus, in *ἡλικίᾳ* cum ipso Domino & carne & sanguine eius adolescamus & corro-boremur ad vitam aeternam Ephes. 2. v. 21.

IV.

Tantam hanc Christi bonitatem nunc stupefcimus meritò, meritò grati-as, laudando & predicando, reponimus, Sacrosanctam hanc Cœnam pie, de-votè, accipimus, meditamur & celebramus: Quod enim gratum quodque acceptum aliàs est, subinde in ore & calamo est, ut dicebat Philosoph. 1. Rhet. 10.

V.

Nam quantum ex modò dictis constare potest, fides in usu illius accendi-tur, conscientia credentis dulcissima consolatione confirmatur, sibi certò com-municari, firmiter donari & obsignari totum thesaurum omnium beneficio-rum, quæ Christus mediator traditione sui corporis & effusione sui sanguinis acquisivit.

VI.

Ergo hæc Sacratissima Cœna, ut sic cum Bernhardo loquamur, est egris medicina, peregrinantibus via, quæ debiles confortat, valentes delectat, lan-guorem sanat, sanitatem conservat, per quam homo fit mansuetior ad corre-ptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior & ad gratiarum actionem devotior; & denique

ὀψυχο-

σύμβολον ἐστὶ τῆς ἀγάπης καὶ φιλαδελφίας, συναξίς καὶ εὐχαριστία Matth. 26.
v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 17. 1. Cor. 10. v. 17. & cap. 11. v. 26. & 33.

VII.

Sed talem & tam ingentem thesaurum suffurari nobis conantur & Calviniani & Pontificii, illi pro re fumos, pro granis, mendaces culmos, adeoque vana putamina tantum substituunt; hi vero ordinem rerum ac natura pervertunt atque immutant: ab utrâque parte lapides sunt, qui in vineam illam Domini cadunt, quam Esaias describit cap. 5. v. 3. 4. 5. & c. quibus nihil magis debemus, quam ut illos eiciamus, hoc est contradicamus: id quod etiam pie & reverenter cœnam Dominicam accipere, & Christo gratias agere, adeoq; mortem & Passionem eius meditari est. Sic enim faciendum præcipit, cum cœnam nobis ordinaret atque institueret. Hoc nunc Deo nos iuvante agemus, nec tamen in harenam simul & semel descendemus cum omnibus, sed tantum hac vice cum Calvinianis verum corpus & sanguinem Christi, mediante Pane & Vino in cœna nobis exhiberi negantibus. Signa enim significantia hi solum nobis obtrudunt, vacua Corpore & Sanguine Christi.

VIII.

Contra quos ponimus, quod in actione sacra, ubi iuxta institutionem Christi cœna administratur, verum, naturale & substantiale Corpus, mediante pane, verus item & naturalis Sanguis Domini nostri Iesu Christi, mediante vino, verè & realiter adsit, & ore corporis sumatur, manducetur & bibatur.

Status
Contro-
versie.

PARS PRIMA.

IX.

Et ut hac nostra assertio satis constare possit, eam probabimus, partim ex verbis Institutionis, simplicissimè id ipsum urgentibus, partim ex genuino Evangelistarum consensu, ex Differentia V. & N. T. & alijs quæ maxime huc facere possunt; ideoq; primùm ita argumentabimur. Filius DEI cum institueret hoc Sacramentum dicebat: Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur, &c. Quæ verba non sunt ἰδίᾳ ἀπαύσεως, sed ex propria & nativa sua sede, ubi καὶ αὐτὰ πρῶτως traduntur, explicari debent, iuxta communem Theologorum regulam,

lam,

lam, quam etiam Bellarminus notat lib. 7. de Eucharist. cap. 9. qua iubet ut
nunquam dimittamus proprium verborum sensum, nisi cogamur ab aliqua
alia scriptura, vel ab aliquo articulo fidei, alioquin peribit fides, & sola rema-
nebit opinio de rebus divinis, & porta huiusmodi erroribus aperietur. Neque
debent a nobis petere Calviniani, cur sequamur proprium sensum verborum,
simile enim id esset, ac si quis peteret ab his qui sunt in itinere, cur sequamur
viam communem: & triam: nemo enim sanus id querit, vel cur ingredia-
mur per portam, non per fenestram, ut idem ipse loquitur lib. 1. de Eucharist.
cap. 12. Et ne ulla relinqueretur difficultas aut dubitatio, disertius multa
quodnam illud esset corpus edocuit, nimirum illud ipsum. Quod pro vo-
bis traditur, inquit, & Sanguis qui pro vobis effunditur:
non corpus tropicum, typicum, fictum, mentium & absens, nec Sanguis si-
gnificatus & simulatus, sed verus & naturalis, in terris praesens, non κατὰ
ῥῆσιν, sed ὄντως. Ergo irrefutabiliter sequitur, quod in Sacra illa cena cum
Pane & Vino, vere sumatur & accipiatur ore corporis, verum & substantia-
le corpus Christi, & verus & substantialis sanguis in cruce pro nobis effusus.
modo non naturali, sed mystico & Sacramentali. Non enim per voculam
Ore Corporis Physicam aliquam ac Capernaiticam οὐρανῶν ἀσσε-
rimus. Quia corpus Christi non accipitur immediate, sed pane mediante, cui
quia coniunctum est non Physice, sed mystice, pro modo etiam coniunctionis
mystico manducatur, nec sumitur ut cibus naturalis ad corporis sustentatio-
nem, sed ut spiritualis ad vitam spiritualem Corpus & animam nutriens.

X.

Deinde simplex illa regula omnium certissima & firmissima est, ut ele-
ganter D. Chemnicus in Exam. Concil. Trident. exponit, quod scilicet ea-
dem doctrina & sententia, in diversis scripturae locis ideo repetita sit, ut ipsius
Spiritus Sancti interpretatio ex illa collatione locorum inquiri & deprehen-
di possit: iuxta illud Philipp. 3. v. 1. Quod eadem vobis semper scribo, non
me piget, facit enim vos tanto certiores. Ergo quia descriptio Coenae a diver-
sis scriptoribus, & quidem diversis temporibus, repetita extat, nulla sunt ra-
tiones aut momenta, quae a genuino verborum sensu decedere suadeant. Pau-
cis remota perstringimus. In ore duorum aut trium consistit omne verum.
Atque in Institutione Coenae non modo duo sed quatuor ad sunt, nempe omnem,
uno ore & calamo, eadem ratione docentes & explicantes. Ergo simpliciter
hac eorum assertione & testimonio acquiescimus, & credimus, si alio opus fu-
isset

isset verborum coena intellecta, procul dubio Paulum hoc edoctrum fuisse, quia elapsus annus integer erat, cum à Domino iam in gloria Maiestatis suae existente ac regnante Evangelium suum acciperet. Cum verò Spiritus Sanctus propter nostram ἀνάμνησιν iisdem verbis idipsum per ipsum repetere & inculcare voluerit, omnino de divina voluntate certissimi sumus. Major constat autoritate Domini nostri Iesu Christi Matth. 19. v. 26. Minor sua luce radiat. Conscripserunt enim historiam coena perpetua παναρχουσία καὶ συμφορῶν Matth. 26. v. 26. 27. 28. 29. Marcus cap. 14. v. 22. 23. 24. Luc. 22. v. 19. 20. Paulus 1. Cor. 10. v. 16. nullus horum est qui ἀέλιον & ἄρτιον αἶμα nobis praescribat, sed omnes verum naturale & essenziale corpus & sanguinem Christi in coena nos accipere edere & bibere, docent atque testantur.

XI.

Neque hoc obscurum esse potest, quod scriptum extat Heb. 10. v. 1. & Coloss. 2. v. 17. ubi expresse dicit Spiritus Sanctus, hoc discriminis inter Vetus & Novum Testamentum fuisse, quod in illo umbra; in hoc corpus ipsum exhibeatur: Quibus sic stantibus ita progredimur. Si in V. T. umbra atque significationes tantum fuerunt, in N. T. verò ipsum corpus revera adest, sequitur quod non significative, typicè aut figuratè sed verè verum & naturale corpus Christi accipiamus. Atqui in V. T. umbra tantum seu significationes fuerunt, in Novo verò ipsum corpus adest. Ergo etiam verum & naturale corpus Christi in coena accipimus & edimus. Major probatur. Quia umbra & corpus hic sibi directè opponuntur, quae simul stare non possunt teste Philosopho. 9. Metaph. 9. t. 19. & 10. Metaph. 7. t. 22. Proinde si alterutrum horum est, alterum abesse necesse est, alias V. & N. T. esset confusio, quam studiosè Evangelista cavent. Ideoq; quia Christus suum corpus ad manducandum nobis instituit, nullum etiam hic locum habet ἀέρις, vel ulla figura, vel typus vel tropus. Minor ex allegato loco evidentissima est. Atque ut assertio hac magis illustris appareat, perpendenda sunt in altera instituta Coena parte Christi verba. Hoc est Sanguis MEUS NOVI Testamenti, ubi manifesta oppositio est Testamenti VETERIS & NOVI: & pondus habet vox MEUS: ita ut sensus sit: Vetus Testamentum brutorum animalium Sanguine instituebatur, iuxta locum Exodi 24. En sanguis foederis (erat autem Sanguis Iuvenorum) quod pepigit Iehovah vobiscum super omnibus rebus illis. Hoc verò quod Christus instituit esse Novum Testamentum in SANGUINE, non brutorum, sed SUI. Sacramento enim

B

V.T.

V.T. umbra dicebantur respectu Corporis Christi quod adumbrabant, asse-
rente Paulo Coloss. 2. & Heb. 10.

XII.

Denique in omnibus Testamentis, illud adhiberi solet studium & dili-
gentia, ut eo praesertim loco, ubi specietenus ipsa summa capita designantur,
verba usurpentur plana & perspicua, quae mentem voluntatemq; Testatoris
quam dilucidissime declarent. Verba enim nota passionum animi sunt, &
nemo praesumitur ea dicere quae vel non cogitarit, vel non velit: Colligimus
ergo quod, si verba plana & perspicua in Testamentis faciendis adhibenda
sunt, & nemo tam ineptus, per versus aut malitiosus est, qui data opera ita
loquitur, ut propter improprium verborum sensum & ambiguitatem, here-
des post mortem suam, in varias dissensiones ob verba Testamenti distrahan-
tur, Christus verus & aeternus Filius Dei tanto minus id ipsum voluerit, sed
Testamentum suum, propriis, perspicuis verbis & sensu, ordinavit atq; insti-
tuerit. Primum verò est. Ergo & secundum. Ratio consequentia eviden-
tissima est. Quia viro bono absque impietate talia ascribi non possunt, multo
minus Filio Dei, nisi cum blasphemis. Sequitur igitur verba Coena accipi-
enda esse ut sonant, hoc est Christum mediante pane, Sacrosanctum suum cor-
pus ad manducandum, & vino mediante, sanguinem suum ad bibendum or-
dinavisse & ovis nobis exhibere.

XIII.

Si enim ita nos exhiberet, ludificaret Apostolos, adeoq; omnes creden-
tes, cum corpus nominavit, figuram tamen intellexerit; aut igitur corpus su-
um proprie vocabulo corporis significavit; aut si nomine corporis significavit
corporis signum: ut Calvinus contendit l. 4. Instit. cap. 17. sect. 21. Beza in
Confess. fidei cap. 4. sect. 50. Sadeel in tract. de Manduc. Sacram. pag. 134.
signum Corporis Christi pro nobis fuit traditum, id quod cogitare impium &
hereticum est: Sicut colligit Gregor. de Valent. Disp. 6. Quest. 3. punct. 1.

XIV.

Paulus verò hanc significationem fortius expungit & abolet 1. Cor. 10.
cum inquit. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio san-
guinis Christi est? & 1. Cor. 11. Quicumque manducaverit panem hunc,
& biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini:

Conclu-

P. 24

Concludit ergo Apostolus: Si calix benedictionis communicatio sanguinis est, scilicet pro nobis effusi: Si panis distributus & manducatus participatio est corporis Christi pro nobis traditi: Si denique impij eiusdem rei fiunt indignè manducantes, omnino sequitur, corpus & sanguinem Christi, vere & realiter in cœna adesse & accipi. Atqui calix benedictionis est communicatio sanguinis, panis distributus & manducatus est participatio corporis, & impij indignè manducantes, rei fiunt. Ergo corpus Christi verè & realiter in cœna adest & accipitur. Consequentia Majoris certissima est. Communicatio enim & participatio, realissimam præsupponunt præsentiam, quod si quisquam negaverit, eum plantam esse oportebit, sicut Philosophus nominat. 3. Metaph. 4. t. 9. Deinde indignè manducantes eius fiunt rei, quod indignè manducatione violant. Afferit vero Apostolus ipsos reos fieri corporis Dominici. Ergo non solum panem, verum etiam corpus Domini manducant. Idq; vel spiritualiter, vel Sacramentaliter, seu Sacramentaliter & spiritualiter simul. Non spiritualiter, quia ad Iudicium; nemo verò credit ad iudicium, sed fides potius imputatur ad justiciam. Rom. 4. v. 3. & 23. Gal. 3. v. 6. & cap. 5. v. 6. Neque Sacramentaliter & spiritualiter simul, quia sic salutariter, ut fideles, illà fruerentur. Ergo Sacramentaliter, hoc est mediante Pane & Vino, corpus & sanguinem Christi accipiunt, manducant & bibunt. Nam manducatio triplex tantum est, merè naturalis, merè spiritualis, & Sacramentalis. Merè naturalis est communis cibi & potus, ad naturalem vitam sustentandam. Merè spiritualis est, quæ 1. sine symbolis 2. sola fide fit 3. tantum ad salutem 4. ad solos fideles pertinens, de qua Ioh. 6. Sacramentalis est, quæ fit 1. mediantibus symbolis 2. ore corporis 3. sæpe ad exitium 4. quæ etiam in indignos cadit. Ut igitur Sacramentalis manducatio sit salutaris, accedere debet spiritualis: id quod fit, quando in usu cœnae Dominice, cum Pane & Vino accipimus corpus & sanguinem Christi, ita ut simul fides iuxta promissionem statuatur, Christum illa sumptione nobis applicare & obsignare beneficia, quæ Passione sua nobis promeruit. Atque ita hæc nostram assertionem de cœna probavimus, quam ut veram ac immotam iudicamus; ita etiam piè ac verè credimus.

PARS SECUNDA.

XV.

Hic verò abeunt à nobis Calviniani, qui in varias opiniones & commenta

leinduntur, & necessario quidem, cum semel à sano Institutionis sensu recesserint. Nam ut claram hanc literam, claram vocem verborum cœna impugnent, comminiscuntur varias figuras & tropos, varias artes & dolos effingunt, quibus ipsi impliciti, exitum & liberationem videre non possunt, adeo miserè verba illa cœna lancinant atque confodiunt. Zwinglius voculam EST arripit, cui tropum imponit Tom. Pol. pag. 266. quod etiam facit Beza in altera parte respons. & quæst. de Sacra: pag. 131. edit: Gene: ann. 1581. & conspicill. p. 23. & 1. part. respons. ad D. Hofmann p. 55. & p. 59. Amandus Polanus in syllog. disput: de Cœna Domini pag. 468. Thes. 16. 18. & 24. ubi inquit: Metonymia Sacramentalis non est in subiecto, nec in Predicato; sed inest in copula Est, quâ predicatum Subiecto attribuitur. Cui e diametro contrarius est Crellius Calvin: lib. 2. Logices c. 3. qui dicit tropum nequam in copula, sed in tota prædicatione, hoc est in respectu Predicati ad subiectum consistere. Erit ergo hoc modo Propositio hæc. Panis Eucharisticus est Corpus Christi, Tropica & figurata quæ in significando consistet & absolvetur.

XVI.

Sed ut exactius paulo hanc glossam pervidere possimus, Definitionem Propositionis figurata, sicut Crellius eam tradit, considerabimus. Prædicationis figurata (inquit) est, quæ vel in Subiecto vel prædicato habet nomen improprium, lib. 2. Logices cap. 3. Atque Propositio hæc: Panis Eucharisticus est, neque in subiecto neque in Prædicato habet nomen improprium. Ergo hæc Propositio, Panis est corpus Christi non est figurata. Major est Calvinianæ scilicet Crellij. Minor etiam utpote Zwinglij, Beza & Polani. Conclusio verò adversatur omnibus Calvinianis, & tamen utraque præmissarum Calvinianorum est, ut loca allegata clare testantur. Ergo etiam, vigore præmissarum & legitima dispositionis, conclusio eorum erit, scilicet quod hæc propositio, Panis Eucharisticus Est corpus Christi, sit figurata & non figurata, hoc est quod secundum Calvinianos duo contradictoria in eodem possint verificari, quod contra omnem Philosophiam est.

XVII.

Deinde, si Prædicationis hæc, Panis Eucharisticus est corpus Christi, est Tropica aut figurata, tropus sive figura erit vel in subiecto vel prædicato, nullo modo in copula. Nam illa peculiaris prædicationis pars non est, sed quando actu ponitur, est pars prædicati, ut docet Aristoteles lib. de ægulweias cap. 3. Tataret: in Comment. super hunc lib. adeoq; etiam Crellius ipse. Inquit enim:

Copu-

65

Copula pars necessaria non est, quia aliquando aliu non ponitur, lib. 2. Logi-
ca cap. 2. Atqui in hac predicatione tropus neque in Subiecto aut Predicato
est. Ergo tropica aut figurata non est. Major patet, Quia quod in nulla E-
nunciationis parte est, id neque in tota enunciatione est. Minor constat au-
toritate Calvinianorum & tali ratione, quia panis accipitur pro vero ac na-
turali pane, & corpus pro vero ac naturali corpore Christi, quod indicat ad-
iuncta descriptio Quod pro vobis traditur: Signum verò pro nobis
non est traditum. Pradicatio igitur hac non est figurata. Interea Contra-
dict. Calvin. semutuo interimunt, tollunt & jugulant. Crellius lib. 2. Log.
cap. 3. sect. 7. Verbum Substantivum, inquit, semper Substantivum est,
ideoq; semper hyparxin & esse significat. Sed vix pagella interjecta, negat &
aufert hoc rursus, & inquit: Panis Eucharisticus est corpus Christi, id est,
est signum corporis. Est significat, tropum in attributo genere ponere possum.
Contradictio. Beza Polanus & alij, neque in Subiecto, neque in Predicato,
sed in copula. Negat Crellius. Contradictio.

XVIII.

Ursinus & Pezelius Predicationem hanc, Panis Eucharisticus est corpus
Christi, hoc modo resolvunt. Panis est signum corporis mei Volum: 2. oper
Theol. fol. 639. Pezelius in tract. de Coena, pag. 163. quam analysin ita ap-
plicabimus. Si in attributo tropus non est, ut Beza, Polanus & Crellius ali-
cubi astrunt, falsa est hac Ursini & Pezeli resolutione, nam hac analysi, tro-
pus in attributo collocatur. Atqui iuxta Bezam, Polanum & Crellium tro-
pus non est in Predicato. Ergo falsa erit Ursini & Pezeli resolutione, nimi-
rum hic panis est signum corporis mei & per consequens, qua ei contradicit, ve-
ra erit, videlicet, quod hic Panis non sit signum corporis. Majoris consequen-
tia evidentissima est. Quod si falsa Conclusio: Ergo Ursini & Pezeli assertio
falsa erit, si vero Ursini & Pezeli vera est, Beza, Polani & Crelli falsa erit.
Conclusio nihilominus vera, nimirum illa qua contradicebat. Contradictio.

XIX.

Denique si hac verba ita sunt resolvenda, Accipite, comedite, hoc est
corpus meum, sequitur. 1. Christum panem tantum ad manducan-
dum ordinavisse. 2. Nullum verum Sacramentum N. Testamenti in-
stituisse. 3. Apostolus adeoque omnes credentes ludificasse. 4. Cenam
hanc à communi convivio non differe. 5. Nullum discrimen inter
manducationem Sacramentalem corporis Christi & spirituales esse. Con-
sequentia omnia absurda sunt. Ergo & antecedens, quod scilicet hac

Propositio ita resolvenda sit. Rationem consequent: ita ostendimus. 1. Quod Christus in cena manducari iussit, illud omne & solum discipuli etiam manducarunt. Atqui secundum Calvinianos signum hoc est nudum panem eos manducare iussit. Ergo signum tantum, hoc est nudum panem comederunt. Conclusio absurda est & haeretica. Dicebat enim, Accipite hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Minor patet, Quia Calviniani, verba coena ita resolvenda esse dicunt, hoc est signum corporis mei. Amandus Polanus in lib. 2. Logic. pag. 157. Sic inquit Ubiquitarii hoc Sophismate decipiunt, cum docent, Christum his verbis in Institutione Sacrae coenae, Accipite, comedite, precepisse oralem manducationem Carnis suae: Cum verba illa non dicantur de corpore Christi, quia illud non in manus sumsit, non fregit, nec discipulis dedit, sed de pane quem sumserat in manu, super quo gratias egerat, quem fregerat & discipulis dederat. Haftenus ille: Id quod probationis loco adscribimus. Sed impietatem ad autorem redire iubemus: Dedit enim Christus discipulis, & dixit: Accipite hoc est corpus meum. 2. Signum externum non est integrum Sacramentum N. Testamenti. Atqui secundum Calvinianos Christus signum externum tantum instituit. Ergo non est integrum Novi Testamenti Sacramentum. Major patet Quia signum illud externum, nihil aliud est, quam Panis, qui Sacramentum integrum N. Testamenti non est. Minor ex resolutione illa liquet. 3. Qui aliud loquitur aliud sentit, ludificat. Atqui Christus ex consequent. Calvin. aliud loquitur, aliud sentit. Ludificat ergo. Blasphemum. 4. Quae per omnia sunt eadem, non differunt. Atqui ex sensu Calvinistico coena Sacra & vulgaris per omnia eadem sunt. Ergo non differunt. Major constat ex 4. Metaph. 9. Minor patet Quia nudus panis tantum, ut in illa, exhibetur. Quod tamen falsum. Reatus enim huic coenae annexus, si quis indignè manducat. 1. Cor. 11. 5. Spiritualis manducatio fuit omni tempore, quod si Sacramentalis idem significat, sequitur Christum instituisse quod antea fuit. Absurdum. Quod enim ante est, ut novum non potest institui. Ergo corpus Christi non est externum signum & per consequens glossa illa resolutoria Calvinistica, absurda, haeretica & impia est.

Atqui

Atqui hinc regerit Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 17. sect. 10.* & inquit, signa non esse vacua, sed semper habere annexa signata. Sic enim scribit. A symboli exhibitione rem ipsam exhiberi ritè colligemus. Nisi enim quis fallacem vocare DEUM volet, inane ab ipso Symbolum proponi, nunquam dicere audeat: & paulò post. Atque omnino isthæc piis regula est, ut quoties vident Symbola instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent atque persuadeant. Quæ sententia tot absurda ferè, quod voces secum trahit atque coonectit. Si enim ita intelligit, ut signa illa, vel ratione typorum, quæ signa & umbra futurorum fuèrunt, signata annexa habeant verè atque realiter, non autem intentionaliter; sequetur, Immolationem Isaaci de qua *Genes. 22. v. 1. 2. seq.* ipsum Passionem Christi habuisse annexam, serpentem aneum, ipsum Christum, Iona commorationem in ventre Balana ipsam Christi sepulturam, granum frumenti, ipsam nostram resurrectionem. Consequentia sunt absurda omnia Ergo & antecedens, scilicet quod signum, hoc sensu, habeat annexum signatum. R. C. palàm facimus. Immolatio Isaaci, signum & figura erat, Passionis & Immolationis Christi pro nobis, docente Epistola ad Heb. cap. 11. v. 19. non potuit autem ipsam Passionem Christi habere annexam, quia caro Christi actu tunc non erat, sed in plenitudine demùm temporis, misit Deus filium suum in carnem *Gal. 4. v. 5.* Serpens aneus, signum & figura erat Christi, ut ipse ostendit *Iob. 3. v. 15.* non potuit autem Christum habere annexum propter eandem rationem, alioquin futurum esset presens, quod contra omnem rationem est. Iona exemplum, ipse Christus in se transtulit *Matth. 12. v. 40.* non tamen potuit habere annexam sepulturam, nondum enim Christus, cum hoc diceret, mortuus erat. *1. Cor. 15. v. 38.* granum frumenti figuram & signum esse inquit Apostolus nostræ resurrectionis: non potest autem habere ipsam annexam sibi, alioquin sequeretur, resurrectionem nostram factam esse. Absurda hæc. Si ita accipit, ut signa exhibitiva Panis nimirum & Vinum, verè atque realiter uniantur cum corpore & sanguine Christi, in nostram quidem sententiam cedit, sed hæc ipsi & omnibus eius complicitibus absurda est. Si denique secundum intentionem, sive Ideam sive cogitationem, illud intelligit; Ergo jam non panis & corpus Christi, sed fides cum corpore unietur Sacramentaliter, siquidem illi unionem Sacramenta-

lem

tem non negant, & quoties homo fidelis credit, toties Sacramentum instituet. Absurda haec omnia. Ergo & Calvini exceptio & expositio. Adscribemus etiam illud. Fides ista, aut erit Ens reale, aut rationis. Omne enim Ens, reale aut rationis est. Aristoteles 6. Metaph. cap. 2. t. 8. Fonseca. 5. Metaph. c. 7. quest. 7. sect. 5. Acque reale esse non potest, non enim fundamentum habet in Qualitate, quia praesupponit cognitionem. Cognitionem autem fides illa Calvinianorum quam in coena describunt, non habet, quia verbo sive mandato caret. Nullibi enim in verbis Institutionis jubemur, ut credamus corpus Christi aeternam sive imaginariam praesentiam nobis adesse. Ergo est Ens rationis, sive Ens fictum, quod in mentibus Calvinianorum enatum atque cogitatum est.

XXI.

Ultimum quod restat effugium Metonymia est, quam fingunt duplicem, unam, qua in dictione, alteram qua in predicando absolvitur. Primam concedimus: Ut cum Sceptrum pro regno, fasces pro imperio sumimus. Postremam constanter negamus, tum quod nemo unquam sane mentis sit ita locutus, cum quod in rerum natura haud fuerit unquam, non enim dicitur: Sceptrum est regnum, toga est pax, fasces sunt imperium. Nihil hic lucrifaciunt. Alij in Metonymiam & Metonymicam praedicationem distinguunt, non secus ac in Metaphoram & Metaphoricam ratio voluit. Sed fumos similiter vendunt. Talem enim non habent, qualem sibi effingunt. Metonymica praedicationis est, quando signum ponitur pro signato vel in subiecto vel predicato, ut: Arma cedant toga: Toga (vocabulum) hic pro pace accipitur, & arma pro bello. Nunquam vero signatum de signo, aut signum de signato praedicatur in casu recto, ut illi nugantur, alias ex Propositione ista: Panis est corpus Christi: talis sequeretur nugatio: Panis est Panis Signatum enim (nimirum corpus Christi) hic nominatur & signum intelligitur.

XXII.

Quod si quidquam efficiunt, experiundo progredimur. Omnis praedicationis Metaphorica in simplici dictione Metaphoram praesupponit. Ergo & Metonymica, talis scilicet qualem Calviniani describunt. Rationem Consequentia distinctio Calviniana ostendit. Ut enim Metaphora se habet ad Metaphoricam praedicationem: ita Metonymia ad Metonymicam. Antecedens certissimum est, si enim in nulla voce Metaphora esset, nullo jure Metaphorica dici posset, & ut res exemplo non careat, Christus est vitis Iohannis v. 1.
quia

quia in voce vitis est Metaphora, qua vox nullo modo propriè accipi potest aliàs nulla esset *ουράθεια* Subjecti cum Predicato. Non vero apparet in tali predicatione Metonymica, ulla Metonymia, ubi signatum predicetur de signo, nec unum pro alio poni potest. Non igitur eadem ratio est Metaphora & Metaphorica predicationis, cum Metonymia & Metonymica. Vanum ergo & frivolum est & hoc Calvinianorum effugium.

XXIII.

Deinde omnis predicatio modificata in Propriam resolvitur. Atqui hæc Predicatio panis est corpus Christi, est modificata, ex sententia Calvinianorum. Ergo resolvi potest in propriam. Conclusio absurda est, nam si cum Metaphorica congruere debet: ut cum dicitur, Herodes est vulpes, predicatum erit Tropicum, corpus Christi pro pane necessario accipi debet, unde negatoria hæc exurgit, Panis est Panis. Quod si conclusio absurda: Ergo & altera premissarum, non Major, attestantibus omnibus Logicis, adeoq; etiam ipso Beza in prima part. Respons. ad Hofmann. pag. 57. Ergo Minor absurda est. Illa itaque qua contradicit, vera erit, quod nimirum Predicatio illa non sit modificata.

XXIV.

Denique si vera sunt qua docent Calviniani, quod nimirum signatum, hoc est corpus Christi, predicetur de pane qua signo, sequitur quod in casu recto, relata de se invicem predicentur. Ratio est, quia signum & signatum, quatenus talia, sunt Relata, quod tamen absurdum est etiam iuxta Crellium lib. 1. Logic. cap. 2. non enim dicitur Dominus est servus Pater est Filius. Ergo etiam absurda, imò inepta est predicatio signati de signo. Quâ sublata, tollitur, quod in ea collocatum habent subsidium. Interea predicatio hæc, Panis est corpus Christi, verè propria est (hoc est proprijs verbis enunciata) quamvis non sit Univoca, non enim sequitur, Univoca non est, quam illi propriam tantum appellitant, Ergo Tropica.

XXV.

Sed quid faciunt tandem? Christi beneficia rident, eumque mendacium arguunt. Nam quamvis videri velint, quod veram presentiam corporis Christi in coena credant, secundum sanum verborum Institutionis sensum, tamen re ipsa negant. Etenim Christum ut nudum hominem in uno tantum loco relinquunt, dimicantes adversus eius omnipresentiam, ut quod verum corpus humanum in ipsa Unione etiam habeat atq; retineat, quod secundum
C carnem

50
carnem nobis per omnia similis sit excepto peccato, Heb. 2. v. 7. Sohnius tom. 2. pag. 530. Ursinus in explic. Catech. pag. 337. quod resuscitatus monumentum deseruerit Matth. 28. v. 6. Quod sublatus à terra in caelum ascenderit Luc. 24. v. 51. Quod iam in caelo existat & commoretur Act. 3. v. 21. Sadeel de verit. human. natura, pag. 4. 17. 18. Pezelius in lib. cont. D. Hunnium. p. m. pag. 62. 101. Quod è caelis sit expectandus, 1. Thess. 1. v. 20. quod mortem eius annunciare usque quò venerit debeamus 1. Cor. 11. v. 26. Quodque corpus eius tam longè absit quam supremum caelum ab infima terra, Beza 1. part. Resp. ad Acta Colloquij Mompelg. pag. 61. 62. Quibus praesuppositis facilima nunc collectio est. 1. Verum & humanum corpus non potest omnipraesens esse. Atque Christus habet verum humanam corpus etiam in ipsa Unione. Ergo non potest esse omnipraesens & per consequens nec adesse in coena. 2. Nullus homo omnipraesens est. Christus est homo, est enim nobis per omnia similis. Ergo non est omnipraesens. 3. Qui sublatus à terra ascendit in caelum, qui in caelo est & commoratur, qui è caelis expectandus est, & qui tam longè abest, quam caelum summum ab infima terra ut Beza loquitur: ille in terris non potest esse praesens. Atqui Christus ascendit in caelum, in caelo est & commoratur, è caelis expectandus est &c. Ergo. Hac sententia & mens est Calvinianorum, de hoc tam longè maximo beneficio atque mysterio, & ut hanc suam impietatem tanto melius compleant, coram hominibus autem aliquo modo occultent, effingunt, fidei hanc esse virtutem, ut conjungat qua à se remotissima sunt, fidei ergo corpus Christi praesens esse. Sadeel volum. oper. Theol. fol. 300. Beza 1. parte Respons. ad acta Colloq. Mompel. edit. post: pag. 41. 52. 53. Sed fumi sunt, facillimè dissipantur.

XXVI.

Si enim fidei hac virtus est, ut qua remotissima sunt, verè, sic enim Beza contendit, praesentia faciat; sequetur Venetias Roma esse. Præteritum & absens esse praesens, mundi creationem, Christi Passionem, Resurrectionem & Ascensionem esse verè praesentem; sequetur Patres non rectè credidisse in Messiam ratione carnis venturum. Consequentia sunt absurda omnia. Ergo & antecedens, nimirum quod fides, qua remotissima sunt, praesentia faciat. Ratio Conseq. ita ostenditur. 1. Quia fides utrumque recipit & Venetias & Romam: haec autem à se remota sunt, recipit etiam creationem, Passionem &c. qua sunt verè absentia. 2. Quod Patres non rectè crediderint hoc modo probatur. Quia fidei secundum Calvinianos absentia sunt verè praesen-

praesen-

638
praesentia, falsam igitur habuerunt fidem, ut qui crediderint in eum, tanquam carne exhibendum. Si vero imaginariam, intentionalem aut idealem suam reponunt praesentiam, tum dicunt 1. quod in quaestione non est, de hac enim non quarimus, sed de vera atque reali praesentia, quo sensu nos credimus, Christum in caena, carne sua nobis adesse. 2. Fallunt & decipiunt simplices, adeoque verba tantum loquuntur, ne tacuisse simpliciter, noceat. Sequitur ergo, quod nullo modo veram praesentiam carnis Christi in caena credant, sed tantum imaginationem, seu speciem corporis Christi, hoc est merum somnium.

XXVII.

Et ut jam concludamus, ceteris, quae ipsi dissertationi reservabimus, supersedentes, unicum quod astruunt ex 1. Cor. 10. tantum ascribemus. Patres (inquiunt) nobiscum eandem escam spiritualem comederunt &c. Ergo spiritualiter tantum corpus Dominicum manducatur. Tacemus autem primum crimen falsi, quod committunt in voce (Nobiscum) hac enim in textu non exstat, sequeretur aliàs quod & nos Manna edamus. Quod si spiritualiter tantum corpus Dominicum manducatur, & non etiam ore corporis, sequitur nullum prorsus verum Sacramentum esse in usu illo externo Eucharistia. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Ratio consequentiae est evidentissima, spiritualis enim illa manducatio non est propria Novi Testamenti, fuit illa etiam in V. T. Deinde fideles spiritualiter corpus Christi manducant, dum nimirum credunt, etiam quando ad Sacram Eucharistiam non accedunt. Ita homines isti evacuant, prorsus annihilant atque petulanter pessundant Sacratissima media, quibus Deus ex mera gratia nobis confert & obsignat salutem & vitam aeternam.

Atque habtenus etiam de Calvinistica verborum
Caena expositione.

Sanctifica nos Christe in veritate tua, sermo tuus
veritas est. Iohan. 17. v. 17.



AD DOCTISSIMUM
VIRUM, Dn. M. MARTINUM WIL-
LICHIIUM, AMICUM SUUM.



EMPE hoc *vis*, MARTINE, DEUS quod
vult ^q jubetque
Semper idem qui *vult*, qui que recusat
idem:

Quodque facer codex recte praescribit agendum;

Sic te WILLICHII nomen habere putes.

Sed cur MARTINI tibi nomina fata dederunt

Cum Sacra, praem MARTIS fulmine, sensa probes!

Esse per antiphrasin te MARTIS nomen adeptum,

Auguror, è studiis auguror illa tuis.

Euge! voluntatem hanc DEUS ipse probabit hone-
stam,

Velle erit ille tuum, *nolle* erit ille tuum.

M. Casparus Finckius Logices in
Academ. Giessena Profess.
Ordinar.

BA

30

ALI-

ALIUD AD EUNDEM.

SANE Josephi MARTINUM illum Megalandrum
 Commoverat Contritio
 Sacrilegâ Testamentum quod tangere CHRISTI
 Videret impios manu,
 Ausferri testataque verbaque: portio magna! ô
 Scelesti Sacri tactio!
 Justis vindicijs pro Cœna armare Papyros
 Tunc capit in deliria,
 Stare fide firma & cœnæ fundamine verba
 Arco-docendo pyrgicos.
 Scilicet Herculeâ contusa repullulat Hydra
 Manu Lutheri bestia:
 Nusquam non fervet Sacramentaria pugna
 Nova sed capit nunc Symbola
 Scilicet ut primæva fides obducta Papatu &
 Nebulis Sophisticantium;
 Sic tenebrâs videas nunc, erroresq; reductos
 Sophistics Novantium,
 Ast qua circumfusa sua nox continet umbra
 Oculis & aufert obvia
 Sol pellens tenebras splendore diemq; reducens
 Visenda ponit oppidò;
 Sic jam divino splendentes lumine Soles
 Claraq; semper Stellulæ
 Munere Christe tuo surgunt nox error & atra
 Tenebræ recedunt longius.
 Ut CHRISTI sponsam scriptis & voce juvaret
 Lumen Lutherus adfuit,
 Ηερησεων μάστιξ, errorum malleus: Et qui
 Hunc sunt secuti filii.

Sic nobis Lumen donatum, gloria CHRISTI

MENTZERS: Huic sit Gratia
His pro tot scriptis quibus arma Papistica fregit

Fraudem retexit Calviam!

Ecquis non cernat tam claro Lumine censo?

Concedat atque ad Lumen hoc?

Ecce, tuas Solem penes hunc accendier ardens

MARTINE vis scintillulas?

Maeste vir ingenio, genium decet hocce tuum; fac,

Surgant ad alta culmina.

Asportes tecum quò tendis vase tenaci

Tam pulchra tamque splendida.

I decus, I columen, spes delitiæq; tuorum

Comes tibi fors, Dux DEVS,

Sera licet fuerit sed seria fama futura est

Tua, maeste, virefce, vale,

Lubens ac merito

Scrib:

M. Johannes Gerthius
Ertzhusanus Hafs,

FINIS.

Coll. diss. A. 201, misc. 24